Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8217
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



tam motus quam umbræ solaris certò constare solem
proprium suum motum per Zodiacum paulo citius
(nimirum per 12. minuta hoc est per quintam
partem horæ) singulis annis absoluere; statuit con-
cilium ipso die 21. Martij uernum æquinoctium
obseruari debere, cum tempore Cæsaris illud æquino-
ctium in 24. Martij incidisset, à quibus tres dies
subduxit concilium. Sic n. necessitas tum tempo-
ris postulabat, quam à dicto anno 45. ante natiui-
tatem Chri, quo Cæsar Calendarium Romanis correxit,
usque in dictum concilium Niceæ, uz ad annum à na-
to Chro 328, intercesserunt anni 373. Itaque
cum Sol proprium motum quoquo anno citius 12.
minutis absoluisset quam finiretur correctum calen-
darium multiplicatione illorum 12. minutorum per
annos 373 facta, euidens fiebat, solem per illos e-
lapsos annos suum cursum absoluisse citius minutis
4476 hoc est horis 74½ & 6. minutis reli-
quis, hoc est dieb. tribus, horis 2½ & 6. minu-
tis reliquis, quam ipsum Calendarium à Cæsare corre-
ctum finiretur tempore Nicæni Concilij. Quibus
tribus diebus, (nam reliquæ horæ 2½ & 6. min.
curari non potuerunt) eo tempore ab illis 24. die-
bus Martij, quos Julius constituit pro æquinoctio no-
tando, subductis, supererant 21 dies in mense Mar-
tio pro æquinoctio uerno.

2